

Ioan. 3.

Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. SIC ENIM DEVS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per eum. Qui credit in eum, non iudicatur. Qui vero non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomen unigeniti filij Dei.

Rom. 8.

Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donaret? Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat, quis ille, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est? imò qui & suscitatus est, qui est ad dexteram Dei, & intercedit pro nobis.

1. Ioan. 2.

Si quis peccauerit, aduocatum habemus

I 3 apud